

Clariss: Viro D. Henrico Stephano, Philosopho
et Poëta doctiss: dno, et amico suo observando,
S. D.

Litteras meas tibi non esse redditas, Vir clariss: et am-
cariss: equidem doleo vehementer: et Melisso nostro
subirascor, qui tibi illas nondum transmiserit: mi-
sisse tamen interim, aut breui missurum omnino con-
fido. Scripsi autem durantibus adhuc proximè
superioribus Nundinis Francofurtensibus antè
quam tuas accepissem. Habebis in illis diuturni
silentij meij causam, quod nimirum trimestre
ferè totum in itinere Austriaco consumpserim.
Significavi etiam quid tua causa cum Principe
nostro egerim: quamq; de auxilio ferendo spem
esse existimem: exiguam scilicet. Est enim
Aula nostra (quod tibi in aurè dictum uelim)
minime liberalis. D. Crato noster ut opus illud
conscribas nequaquam suadet. Non quod utile non
fore putet: sed quod laboris quidem plurimum
comodij uero parum, uel potius multum detri-
mentij inde ad te rediturum certis de causis
arbitretur. Quare tu uideris. Libros ego ab
Instituto tuo nullos accepi: sed naufragium in
causa fuisse credo: eoque nomine etià tecum
doleo. Nihilominus autem pro munere illo
Gratias interim tibi ago maximas. Me enim
libros illos accepturum, ut iussisti, non dubito.
Ego Maium mensem totum in Thermis

Ferimus cum Barone quodam consumpsij, nec tu
 cum meis literis in gratiam redij. Vbi Musas mi-
 hi reconciliauero, meditabor aliquid, fauente Deo,
 quo amorem, ac uoluntatem erga te mea pro-
 pensissimam publicè etiam declararem, meq' uicissim
 ostendam gratum. Mitto ad te Nicolaj Rudingerij
 de Cæna Posthiana carmen iocosum quidem,
 sed ab animo nostrij amaritissimo profectum.
 Is in Palatinatu natus est, et educatus. Jam
 uero sub Illustriss: Comitibus à Wertheim, et
 Königstein etc: Quaestorem ærarium agit:
 homo Musis, et Philosophiæ natus: cum quo
 longa mihi necessitudo est, et hospitium uetus:
 in cuius gratiam si uel distichon unum feceris
 reddes eum (qui te alioqui amat, et colit) tibi
 per omnem uitam deuotissimum. Werthe-
 imi degit, quod oppidum à Wirzeburgo ad
 quartum distat lapidem. Cæterum in Verona
 illo tuo Magnus honos equidem rarusq'
 daretur ab illa: Equidem pro quidem no-
 rec fe' poni mihi uidetur. Nam si Equidem is
 ponatur ex Ego et quidem, sequitur illud non
 nisi primæ personæ Verbis posse coniungi. In quo
 si erro, me erudias, mihiq' ignoscas oro. Valde teq' amari
 à me mirificè, et colij plane tibi psuadeas. Raptim Wirze-
 burgi. 12. Iunij, cum pridie tuas accepissem. A. p. 75.

D. Bezæ meis uerbis
 salutem dicas uolo.

Tuus Posthins.